

peradditi; sed media ratione sui non habent esse appetibilia, sed ratione finis ad quem ordinantur; ergo erunt appetibilia, et bona per accidens. Cujus etiam signum est, quia idem medium in se invariatur est appetibile uni, et non appetibile alteri, ut pharmacum infirmo, qui indiget purgari, non alteri qui fluxu laborat; ergo tota ratio bonitatis est illi extrinseca; alias non amitteret illam nisi per aliquam mutationem intrinsecam.

XXV. Respondetur ad primum locum D. Thomæ, quod quando dicit: « Finem esse objectum voluntatis, sicut color est objectum visus, » non loquitur de objecto adæquato, sed de primario. Et in hac linea medium minus se habet, quam color, quia non pertinet ad rationem primariam objecti, sed secundariam. Quomodo autem non se habeat ut objectum per accidens, vel solum secundum denominationem extrinsecam, statim dicemus. Hanc autem esse mentem D. Thomæ colligo ex ejus verbis, quia postquam dixerat, quod finis est objectum voluntatis, sicut color visus, subdit: « Quod sicut impossibile est, quod primum visibile sit ipsum videre, ita impossibile est quod primum appetibile sit ipsum velle. » Id ergo quod D. Thomas dixerat esse objectum voluntatis, scilicet finem, nunc dicit esse primum appetibile, et hoc sufficit intento D. Thomæ, quia si finis primum objectum unde incipit voluntas tamquam a re volita, non potest talis ratio finis, et rei volitæ competere ipsi actui voluntatis, quia actus non potest esse primum volitum, si quidem talis actus, qui poneretur esse primum volitum, versari debet circa aliquod objectum, quod a tali actu attingibile sit, et non habet se ipse actus voluntatis pro objecto directo summet; ergo illud quod tali actu at-

tingitur est primum volitum: non ergo ipse actus attingens primum volitum esse potest, et consequenter neque finis, quia finis est primum volitum. Ad hunc ergo discursum non requiritur, quod finis sit adæquatum objectum, sed sufficit quod primum, seu primum volitum sit. An vero per istam consequentiam sufficienter probet D. Thomas, quod nec ipse primus actus voluntatis non sit primum objectum, et finis voluntatis, sed neque ullus alius actus postea exercendus a voluntate possit esse primum objectum volibile, saltem per reflexionem, et induendo rationem objecti voliti, non exercitium actus, diximus supra circa quæstionem I, disput. I. Nunc enim ad propositum non refert.

XXVI. Ad secundum locum D. Thomæ respondetur, loqui in illa probatione de fine, ut præbet rationem formalem sub qua objecti voluntatis: sic enim medium non habet rationem formalem objecti, sed solum ipse finis. Non autem loquitur de objecto adæquato voluntatis prout abstrahit a materiali et formali, a primario, et secundo; nam expresse in hac quæstione VIII, articulo II ad secundum comparavit medium, et finem sicut color, et lux in visione; lux enim est ratio formalis sub qua adæquata visus, non tamen est objectum adæquatum. Unde in illa quæstione I, articulo I non intulit D. Thomas, quod omnes actiones humanæ sint de fine tamquam de objecto, sed propter finem tamquam de ratione formali loquens, sub qua actiones illæ sunt humanæ, et volitæ.

XXVII. Ad tertium locum respondetur, quod cum in ista quæstione dicit, quod media sunt volita solum propter finem, et quod finis in eis est volitus, solum colligitur quod finis est ultima ratio formalis

sub qua, propter quam media sunt volita, et quæ principaliter est volita in mediis. Non tamen ex hoc probatur, quod media non habeant intrinsece aliquam bonitatem in se receptam relata tamen, et dependentem a fine, et materialiter se habentem respectu illius.

XXVIII. Ad ultimum locum respondetur, quod D. Thomas affirmat bonum, et finem esse idem loquendo de bono principali, et absoluto, non vero prout includit bonum relate, et ordinatum ad alterum. Non enim dicit sanctus doctor, quod omne bonum est finis, sed quod bonum importat rationem finis; quod verificatur per se, et primo de bono absoluto, et principali; de bono autem relato participative, et per dependentiam ab illo. Dicitur autem: « Quod media non habent in se unde desiderentur, » considerando illa sine fine, seu independentem ab illo, non autem sub illo; et sic non habent in se bonitatem simpliciter, et independentem a fine, bene tamen dependentem, et analogice, licet intrinsece.

XXIX. Ad confirmationem respondetur, quod substantia dicitur visibilis per accidens, quia in se nihil habet visibilitatis, sed totam habet ex alio, scilicet a colore, et luce illi supervenientibus, et solum dicitur visibilis, quia sustentat id, quod visibile est, et recipit in se, non quia de se in actu habeat aliquid visibilitatis, sed solum in potentia. Media autem non sunt bona pure in potentia, sed ex se fundant proportionem, et ordinem ad finem, quæ proportio, et ordo aliquid bonitatis est in actu, licet relata, et dependentis ab alio principaliori, actu tamen ordinata ad illud. Unde quantum ad aliquid se habent media ad voluntatem sicut color ad visum, et quantum ad aliquid minus habent, quam color. comparantur

enim colori, quantum ad hoc, quod est habere aliquid de bonitate in actu, et non pure in potentia; sicut color est actu visibilis, licet dependenter a luce in exercitio movendi visum. Habent autem minus quam color, quia color est visibilis ut via, et tendentia ad lucem, ita quod posita luce esset ejus visibilitas, sed potius tunc perficitur, et melius exercetur, et videtur. Media autem ita diliguntur dependentem a fine, ut eo adepto omnino cessent, nec amplius diligantur, et si sine illis posset haberi finis, nusquam diligenter in ratione medii, seu conducentis; et ideo bonitas eorum in quantum media analogica est cum bonitate finis: color vero univoce visibilis est cum luce. Et sic media in aliquo sunt sicut color, in aliquo sicut visibile per accidens seu per aliud, et de utroque participant.

Quod vero dicitur in argumento, idem medium esse appetibile uni, et non alteri, non probat bonitatem in mediis esse extrinsecam denominationem, sed esse bonitatem relate, et secundum proportionem convenientem ad finem; quæ proportio, et relatio non potest eodem modo inveniri respectu omnium, sicut id quod est simile uni, non est simile alteri.

XXX. Secundo arguitur ad probandum per aliud extremum, quod media habent in se bonitatem absolute, et simpliciter, non analogice, nisi per accidens: dantur in voluntate actus qui per se, et formaliter, et non secundo versantur circa media, et sunt univoci cum actibus, qui versantur erga finem; ergo media non sunt bona per accidens, nec analogice, et dependentem a fine, sed univoce, et per se. Consequentia patet, quia objecta per accidens non terminant, neque specificant diversos actus potentia, alias essent objecta per se, si essent specificati-

va. Et patet in substantia, quæ est visibilis per accidens, et ex diversitate illius non sumitur diversitas specifica actuum videndi, sed ex diversa specie colorum. Antecedens autem probatur, quia circa diversa media, aut ex diverso modo tendendi in illa, diversi actus specie resultant in voluntate, sicut actus electionis, consensus, usus, etc. Et similiter dantur electiones specie diversæ, sicut diversi actus virtutum; virtutes enim morales quæ electiones sunt, et versantur circa media, proceduntque ab habitu electivo, qui est virtus. Et idem patet exemplo intellectus, quo conclusiones se habent sicut media in voluntate: sed conclusiones sunt objectum per se intellectus, et per se specificant actus illius, ut patet in diversis scientiis, quæ versantur circa conclusiones, non circa principia; ergo idem faciunt media in voluntate.

XXXI. Confirmatur, quia non magis analogice participant bonitatem media et finis, quam Deus et creaturæ; et hoc non obstante creaturæ habent bonitatem per se, et univoce appetibilem cum appetibilitate Dei, et non solum relate ad Deum, et ex subordinatione ad ipsum, sed etiam absolute, imo et contra Deum appeti possunt: ergo etiam media habere possunt bonitatem in se formaliter appetibilem, et non solum ex subordinatione ad finem, et dependenter ab ipso.

XXXII. Respondetur probare argumentum in mediis esse bonitatem intrinsecam, licet relatam, et dependentem a fine, et ideo ex diversa specie mediorum sumi potest diversitas actuum in voluntate, licet cum ordine ad finem, ut ad rationem formalem diversimode modificatam in ipsis mediis: sicut ex diversa specie colorum sumitur diversa visio, licet omnes subsint eidem rationi formali lucis, quæ est

ultima ratio sub qua visibilitatis, quæ tamen in quolibet colore ita modificatur et diversimode proportionatur, ut resultet diversus actus visionis. Unde concedimus, quod media non se habent ut objectum per accidens voluntatis, sicut substantia respectu visus; nec omnino se habent ut color, quantum ad hoc quod sint univoce bona cum fine, sicut color cum luce (ut jam supra explicatum est) sed in aliquo conveniunt cum colore, in aliquo cum visibili per accidens. Conveniunt cum colore in hoc, quod bonitas mediorum est aliquid intrinsecum in illis, et in illis ipsa bonitas finis habet dare quasi ultimam rationem formalem sub qua, sicut lux coloribus, et juxta diversas modificationes, et applicationes finis ad media fiunt diversa objecta actuum voluntatis. Conveniunt autem objecto, seu visibili per accidens, quale est substantia, quantum ad hoc, quod illa bonitas non est per se, et absolute talis, sed dependenter, et relate ad finem, et quasi via ad ipsum, et deferens ipsum, sicut substantia defert, et portat colorem; et ita acquisito, et habito fine, cessat volitio mediorum.

XXXIII. Quod vero dicitur univoce habere bonitatem ipsa media, quia univoce sunt objectum voluntatis, respondetur quod bene possunt univoce convenire in ratione movendi, et terminandi objective ipsos actus, licet analogice conveniant in ratione essendi, et participandi in se bonitatem, sicut accidens, et substantia sunt analogice entia, et univoce objecta unius potentiae, scilicet intellectus, et unius habitus, scilicet metaphysicæ. Similiter concedimus exemplum conclusionis respectu intellectus, et de mediis respectu voluntatis quantum ad hoc, quod est specificare, et objective terminare diversos actus

specie, ut explicatum est, cum dependentia tamen, et ordine ad finem et ad principia.

XXXIV. Instabis: Ergo sicut omnes colores sub una specifica ratione lucis continentur, ita omnia media eandem specificam rationem actus terminabunt, quia sub uno fine, et omnes conclusiones eundem actum, quia sub uno principio continentur. Negatur consequentia, quia licet omnes colores, quia sub eadem luce sunt, eandem specificationem potentiae respiciant, non tamen eandem specificationem actus, et visionis, quia diversi actus sunt circa unum colorem, et alium sub diversa lucis modificatione. Sic diversa media ad eandem specificationem potentiae voluntatis reducuntur, sed diversam speciem actionis, et habitus retinent sub diversa modificatione, et respectu finis.

XXXV. Ad confirmationem respondetur esse disparem rationem inter bonitatem divinam, et creatam ex una parte, et bonitatem finis, et mediorum ex alia: quia bonitas divina non solum communicat creaturis bonitatem utilem, qualis est in mediis, sed etiam honestam, et delectabilem, qualis est in fine, et talis bonitas est per se appetibilis. Unde licet talis bonitas comparata ad divinam sit analogica, et secundum quid in essendo, tamen in movendo, et alliciendo est bonitas appetibilis per se, et non ratione alterius tantum, licet illud per se, et in se bonum participatum a Deo, et in essendo semper se habeat analogice respectu divinæ bonitatis: sicut substantia creata est ens per se, licet analogice cum Deo a quo participatur. At vero bonitas mediorum ut talium, comparatur ad finem, non ut bonitas per se, ratione sui etiam participata, sed ut bonitas relate se habens, et præcise

appetibilis ratione alterius, et per modum viæ, et tendentiæ ad illud, quod per se appetitur, licet hæc relatio, et ordinatio, et via non per extrinsecam denominationem, sed intrinsece conveniat mediis. Unde non sequitur, quod per se appeti possit sicut finis.

ARTICULUS III.

Quomodo finis, et media possint appeti eodem actu, vel diverso?

I. Ex præcedentis difficultatis resolutione deducitur explicatio ejus, quod docet D. Thomas in hac questione VII, articulo III, scilicet quando finis et media possint eodem actu appeti, vel diversis, quod non eodem modo explicant auctores. Quidam enim existimant semper esse diversum actum, quo voluntas attingit finem, et media, non solum loquendo de simplici voluntate finis in qua nullo modo attinguntur media, etiam in obliquo, sed etiam loquendo de actu intentionis, in quo jam habetur aliquo modo ordo ad media in ipso amore finis, scilicet ut assequendi per illa. Alii volunt esse semper eundem actum, sicut visus eundem actu videt colorem, et lucem, quia lux est ratio videndi colorem; media autem omnem rationem appetibilis habent a fine; debent ergo eodem actu attingi. Alii denique sentiunt posse voluntatem aliquando unico actu tendere in finem, et media; aliquando diversis.

II. Nos autem tribus propositionibus rem hanc dissolvimus. Prima est; Actus qui respicit finem sine ullo ordine ad media, sed secundum se tantum, ut simplex volitio, omnino est diversus actus ab eo, qui respicit media ut objectum, et tamquam rem attactam. Hæc est cer-